

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Inuidia r
cum fontibus proximo et primis

Huic, scilicet inuido, uultus minax, toruus aspectus,
pallor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor,
uerba rabida et effrenata conuicia
et manus ad uiolenciam prompta,

iuxta illud poete:
pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
nusquam est recta acies, liniat rubigine dentes,
pectora felle uirent, lingua est suffossa ueneno.
Risus abest nisi quem fecere dolores.

Petrus Rauennas.

De primo Cyprianus ubi supra:

“Hinc uultus minax, toruus aspectus,
in facie pallor, in labiis tremor, in dentibus stridor,
uerba rabida, effrenata conuicia,
manus ad uiolenciam prompta”.

Hinc et poeta:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
/ nunquam est recta acies, liuent rubigine dentes,
/ pectora felle uirent, lingua est subfusa ueneno.
/ Risus abest nisi quem fecere dolores,
/ nec fruitur sompno uigilantibus excita curis,
/ permanet ingratus, intabescitque uidendo
/ successus hominum carpitque et carpitur una,
/ suppliciumque suum est.

Vincentius Beluacensis, *De morali principis
institutione*, 21 (CCCM 137, R.J. Schneider ed.,
pp.109-10, ll.126-137).

Hinc uultus minax, toruus aspectus,
pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus,
uerba rabida, effrenata conuicia,
manus ad caedis uiolenciam prompta,
etiamsi a gladio interim uacua,
odio tamen furiatae mentis armata.

Cyprianus Carthaginensis, *De zelo et liuore*, 8
(CCSL 3A (M. Simonetti ed., p.79, ll.138-141).

pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
/ nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
/ pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno.
/ risus abest, nisi quem visi mouere dolores,
/ nec fruitur somno uigilantibus excita curis,
/ sed videt ingratos intabescitque uidendo
/ successus hominum carpitque et carpitur una
/ suppliciumque suum est.

Publius Ovidius Naso, *Metamorphoses*, 2
(W.S. Anderson ed., pp.50-1, ll.775-782).